

FERMENTATUM EST TOTUM. — Hec est quarta Christi parabola fermenti, qua, sicut et per parabolam sinapis, ostendit vim et efficaciam Evangelicæ prædicationis et doctrinæ, q. d., ait S. Chrysostomus: « Sicut fermentum multam farinam transmutat in suam virtutem, ita et vos (o Apostoli) totum mundum transmutabitis. » Notat S. Chrysostomus *ascendit*, q. d. « Ita et vos, cum subjecti fueritis impugnatoribus vestris, tunc eos superabitis; et sicut fermentum suffoditur quidem, non autem destruitur, sed paulatim ad suum habitum omnia transmutat, sic et in prædicatione vestra continget. Non itaque quia multas dixi superventuras vobis vexationes, timeatis; ita enim fulgebitis, et omnes superabitis. »

Quæres, cur Christus Evangelium comparat fermento? Respondetur: Fermentum est portio farinæ subactæ acide, ita dictum, quod fervendo crescat. Audi Plinium, lib. XVIII, cap. XI, modum, quo fit fermentum, describentem: « Nunc (nam olim alio modo fiebat, uti idem paulo ante narravit) fermentum fit ex ipsa farina, quæ subigitur prius, quam addatur sal ad pulvis modum, et relicta, donec acescat: vulgo vero, nec suffervacant, sed tantum pridie asservata materia utuntur. Palmarque natura est acore fermentati, sicut et validiora esse corpora quæ fermentato pane alantur; quippe cum apud veteres ponderosissimo cuique tritico præcipua salubritas perhibita sit. »

Rursum fermentum, ait Albertus Magnus, licet modicum, calore suo humidum totius masse farinæ maturat; subactum quasi totum in se convertit et fermentat, acore suo elevat, et quasi spirituale æreumque efficit, sapidum reddit digestumque præparat, ut fiat panis salubris hominem alens, sustentans et corroborans. Simili modo Evangelium, per paucos Apostolos multa tribulatione et morte subactos, totum mundum ad se convertit, et cor cuiusque facit amore Dei fervens, Deo sapidum, gratum, maturum, perfectum, illudque a terrenis elevat ad cælestia. Mulier fermentans est Ecclesia, vel Dei potentia et sapientia, ait S. Augustinus, lib. I *Quæst. Evang.*, Quest. XII, et Cæsarius, *Dialogo IV*.

Tropologie: S. Augustinus, lib. I *Quæst. Evang.*, Quest. XII: « Fermentum, inquit, dicit dilectionem, eo quod fervescere facit et excitat. Mulierem, sapientiam dicit. In farinæ autem satis tribus, intelliguntur vel tria illa in homine, ex toto corde, ex tota anima, et ex tota mente; vel tria illa fructifera, centesimum, sexagesimum et trigesimum; vel tria illa genera hominum, Noe, Daniel et Job. » Addit Rabanus: « Dicit autem donec fermentatum est totum, quia charitas in mente nostra recondita eo usque crescere debet, ut farina mentem in sui perfectionem commutat: quod hic quidem incohat, in futuro vero perficitur. »

Porro, quomodo Christus, Apostoli et similes sint fermentum Ecclesie, imo totius mundi, audi docentem S. Ambrosium, serm. 21 in *Dominica VI post Epiphaniæ*: « Fermentum cum sit magnitudine parvum, specie simplex, natura commune, tantam fortitudinem intrinsecus gerit, ut cum reconditum fuerit in farina, succus hie totam massam faciat esse quod ipse est, et ita semper universum cumulum aspersiois sui vigore diffundit, ut omnem ipsam magnitudinem pollinis faciat fermentum, ac sic res ipsa fortitudinis suam molem sibi proprii vigoris acquirit. Hoc autem faciunt mulieres, ut viris suis salubriorem panem et cibum utilem diligenter exhibeant. » Deinde hæc applicans Christo: « Ergo si triticeum Dominus (ut ipse ait, *Joan. XII, 24*), et Dominus est fermentum, quia fermentum non nisi de tritico fieri solet: recte ergo fermento Dominus comparatur, qui cum esset speciei homo, humilitate parvus, imbecillitate dejectus, tanta intrinsecus sapientie virtute pollebat, ut doctrinam ipsius mundus ipse vix caperet; qui cum se cepit per totum orbem divinitatis vigore diffundere, statim omne hominum genus in substantiam suam sui potestate protraxit, ut et jugum Spiritus sui sancti infunderet omnibus, hoc est, Christianos cunctos faceret esse, quod Christus est. »

Addit quod sicut fermentum confringitur, et per totam farinæ massam dispergitur; ut illam fermentet, sic Christus « diversis passionibus contractus, laceratus et dissolutus est, et succus ejus pro salute nostra, qui est pretiosus sanguis, effusus est, ut admixtione sui omne genus humanum solidaret quod per diversa antra resolutum jacebat. » Vide et S. Chrysostomum hic, *hom. 47*, ubi inter alia ait: « Si duodecim homines (Apostoli) totam pene farinam orbis fermentarunt, diligenter animo versa, quanta sit nostra malignitas atque ignavia, qui cum jam innumeri simus, has gentium reliquias convertere non possumus, qui vel mille mundis satisfacere deberemus. » Idem deflebat S. Bonifacius, Germanorum apostolus, cuius hoc erat dictum: « Olim sacerdotes aurei celebrabant in vasis ligneis; nunc sacerdotes lignei celebrant in vasis aureis. »

IN FARINÆ SATIS TRIBUS. — « Satum, » vel ut Hebraice est, *sea*, genus est mensuræ aridorum, æquale bato, quæ est mensura liquidorum, continens modium Italicum, vel, ut S. Hieronymus et Josephus, lib. XV *Antiq.*, cap. XI, modium cum dimidio. S. Hieronymus satum alibi vertit modium. Cum ergo tres modii facerent unum ephi, ut patet *Ruth. II, 17*, sic: decem gomor faciebant unum ephi, ut patet *Ezechiel. XLV, 11*, hinc sequitur satum fuisse tertiam partem ephi, et trigesimam cori. Denique satum confinebat tres modios Atticos, ait Josephus. Jam farina tota significat omnes homines fide Christi, quasi fermento spirituali, conditos et fermentatos.

Tria sata
quid?

Tria sata sunt tres mundi partes, scilicet, Asia, Africa, Europa. Has designant tres filii Noe: posteritatem Sem inhabitantur Asiam, Cham Africam, Japhet Europam. Ita Cæsarius, frater S. Gregorii Nazianzeni, *Dialogo IV*, et S. Augustinus, serm. 32 *De Verbis Domini secundum Lucam*.

Mystice S. Ambrosius, Theophylactus et S. Hieronymus: Evangelium, inquit, fermentat si-bique unit tria sata, id est tres hominis partes, scilicet spiritum, animam et corpus; item tres appetitus, puta rationalem, irascibilem et concupiscibilem, « ut in ratione, ait S. Hieronymus, possideamus prudentiam, in ira odium contra vitia, in desiderio cupiditatem virtutum. »

Symbolice S. Hilarius: Gratia Evangelii, inquit, abscondita fuit in Ege, Psalmis et Prophetis, nunc apparuit in S. Trinitatis fide, spe, charitate, « ut quod lex constituit, Propheta nuntiaverunt, idipsum Evangeliorum profectibus expleretur; » vel ut alii, in triplici Dei ope, scilicet creationis, redemptionis et glorificationis confirmetur; aut ut alii, quia Evangelium triplices facit fideles, scilicet incipientes, proficientes et perfectos, afferente fructum trigesimum, sexagesimum et centesimum.

Allegorice S. Bernardus, lib. V *De Consider.*: B. Virgo, ait, in utero suo tria sata, id est tres Christi naturas, scilicet animam, corpus et divinitatem uni hypostasi Verbi junxit et univit.

Anagoge. Anagoge Cæsarius, *Dialogo IV*: Mulier fermentans, inquit, est Dei potentia et sapientia, puta Deitas Christi; farinæ sata tria sunt: « primum universa mortaliatum natura, secundum mors, tertium orcus, » id est infernus et sepulchrum, in quo absconditum Christi corpus fermentavit omnia in resurrectionem et vitam.

Vers. 34. *Mer. IV, 23, 24.* HEC OMNIA LOCUTUS EST JESUS IN PARABOLIS AD TURBAS, ET SINE PARABOLIS NON LOQUEBATUR EIS; — q. d. Nil loquebatur eis nisi per parabolas, hoc est parabolice.

Vers. 35. 35. UT IMBERETUR QUOD DICTUM ERAT PER PROPHETAM DICENTEM: APERIAM IN PARABOLIS OS MEUM, ERUCTABE ABSCONDITA (Hebr. *חידות* *chidat*, id est enigmata, ut vertit Chaldaeus et S. Hieronymus, *Psalm. LXXVII, 2*) A CONSTITUTIONE MUNDI. — Arahæus: *Et loquar abscondita ante constitutionem mundi*. Citat Christus Davidem, *Psalm. LXXVII, 2*, qui toto illo Psalmo ad litteram commemorat et celebrat beneficia a Deo præstita Synagoge, id est populo Israelitico, ab initio, id est ab egressu ex Ægypto duce Moyse, transituro per mare Rubrum in terram promissam, usque ad Davidem; ut per ea exhibet populum ad gratitudinem Dei-que amorem et cultum. Mystice vero, ait S. Hieronymus, David ibidem fuit typus Christi hie, qui beneficia a Deo Ecclesie per se præstita et abscondita olim, de promissa eidem in cælis terra, mysteria per parabolas eructat et celebrat; ubi nota: pro parabolis Hebr. est *מסאל* *masal*, quod significat quamvis sententiam gravem, illustrem

et aliis quasi prædominantem, *מסאל* *masal* enim significat dominari, ideoque obscuram et reconditam, sive ea sit enigma, sive allegoria, sive parabola, sive sententia propria dicta, ut patet hic, cap. xv, vers. 13. Vide dicta *Proverb. I, 1*. Itaque illo Psalmo LXXVII non sunt parabole proprie dictæ, sed graves dulcitate sententiæ, hic vero similes sunt graves sententiæ, sunt et parabole proprie dictæ; et sic utrovīs modo hic versus Psalmi competi Christo, cum ego tantum modum competat Davidi; in Scriptura enim multa dicuntur, quæ magis et plenius conveniunt rei per allegoriam significatæ, quam ipsi allegorie ejusque sensui literali: patet hoc in magnificis promissionibus a Deo factis Davidi de regno Salomonis, quasi filii sibi in regno successuri. Multa enim tam ampla in eis dicuntur, ut plene et perfecte competant soli Christo, typico vero et exilliter Salomoni, qui typus erat Christi. Vide illa *II Regum, VII, 13*. Idem fit hoc loci.

36. TUNC, DIMISSIS TURBIS, VENIT IN DOMUM (id est, rediit in hospitium Capharnai ad se conductum, unde mane egressus fuerat, vers. 1), ET ACCERSERIT AD EUM DISCIPULI EUS, DICENTES: EMISSERE NOBIS PARABOLAM ZIZANIORUM AGRI. — Hec enim cæteris videbatur obscurior et duriores continere mi-nas.

37. QUI RESPONDENS, AIT ILLIS: QUI SEMINAT BONUM SEMEN, EST FILIUS HOMINIS. — q. d. Ego sum seminatio boni seminis, puta Evangelii et verbi Dei; hoc enim semino, id est prædico non solum per me, sed et per meos Apostolos, sed ita ut illi dumtaxat sint mea organa, meæ voces meique præcones, ego vero sum solus prædicationis auctor, qui, quod illi ex mea doctrina prædicant exte-rius, prædico intèrius in mentibus audientium, facioque ut ipsi eadem intelligant, ament, amplectantur et opere exequantur per gratiam meam, qua intellectum illorum illumino et voluntatem eorum inflammo.

38. AGER AUTEM EST MUNDUS; BONUM VERO SEMEN, HI SUNT FILII REGNI; ZIZANIA AUTEM, FILII SUNT NEQUAN. — « Mundus, » dam « in omnem terram exivit sonus eorum, » *Psalm. XVIII*. Ager ergo est mundus, non Ecclesia; nam per zizania hujus agri modii intelligent hereticos, qui non sunt in Ecclesia, præsertim cum sunt manifesti et publici.

FILII REGNI. — Hi sunt fideles justi et in justitia perseverantes, ideoque a Deo electi, ut vocat hæredes regni cælorum. Unde, vers. 43, eos vocat justos, dicens: « Tunc fulgebunt justi. » Hi sunt filii Patris cælestis, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex volū-tate viri, sed ex Deo nati sunt, » *Joan. I, 13*.

Nota: justii hie vocantur « semen, » quia licet semen, quod proprie seminat Christus, sit ipsum verbum Dei, tum exterius per loque-lam, tum intèrius in corde per gratiam ab eo sa-tum, juxta illud *Lucæ, VIII, 12*: « Semen est verbum Dei; » tamen quia seminis hujus fructus est

Vers. 37.
Explicatio
parabolæ zizano-
riorum.

conversio et justificatio fidelium, hinc fideles justi vocantur quoque semen, id est seminis fructus, et messis per metonymiam, qua per causam significatur effectus. Unde semen hoc per messem et messores, in quos desinit, explicat Christus vers. 39.

ZIZANIA AUTEM FILII SUNT NEQUAM. — Græce ubi τὸν ἀνομήν, id est filii illius mali, vel maligni, scilicet diaboli: ita Syrus et Arabicus; ideoque et ipsi mali et nequam, nam patrem sequitur sua proles; quare sicut filii Dei sunt boni et divini, sic filii diaboli sunt mali, nequam et diabolici, quia imitatores diabolice falsitatis, ait S. Augustinus.

Nota: per zizania et filios nequam, nonnulli accipiunt hereticos, quia hi maxima sunt, maximeque nociva zizania, utpote qui fideles fidemque a fundamentis suffocant et evertant. Ita S. Chrysostomus, Euthymius, et S. Augustinus, lib. *Quest. in Matth.*, Quest. XI, qui tamen id ipsum retractat, lib. II *Retract.*, cap. XXVIII, ac docet ex S. Cypriano, zizania notare omnes malos qui sunt in Ecclesia. Idem docent S. Gregorius, S. Ambrosius, Theophylactus, et S. Augustinus, serm. 39 *De Sanctis*: omnes enim mali sua mala vita nocent fidelibus et Ecclesie, sicut zizania nocent tritico illudque suffoca, ideoque vocantur « nequam; » nequam enim sit homo nullius pretii, « quo' ne tanti quidem sit, quam quod habet minimi, » ait Festus; vel ut Varro: nequam dicitur quasi nequidquam; vel ut Alari: a nequeo, quod nihil queat nullique rei sit aptus. Vide A. Gellium, lib. VII, cap. XI. Quare perperam ex hoc loco, vers. 29, ubi Christus vetat evelli hanc zizania, subditque, vers. 30: « Signe utraque crescere, » Novantes inferunt hereticos non esse plectendos et extripandos, quia pari modo ex eodem concluderent homicidas et fures non esse plectendos, hi enim quoque sunt zizania. Dico ergo Christum hic non prohibere absolute, ne hanc zizania evellantur, sed ne quis evellere conetur omnia omnino, neque tunc, cum a tritico dignose nequeant, sive cum periculum est ne cum hiis simul evellantur et triticum, uti explicat ipse Christus, vers. 29, quod locum non habet, cum quis manifestus est hereticus, et maxime si dogmatizat alioque sua hæresi inficiat: talis enim gravior ledit fideles et Ecclesiam, quam homicida; hic enim corpus, ille animam occidit. Vide I Cor. v. 43; Galat. v. 12, ubi Apostolus impios, presertim falsos doctores auferri et extripari jubet. Ita Origenes et S. Augustinus, qui, licet initio senserit hereticos non esse occidendos, imo ne cogendos ad fidem, quam in baptismo professi sunt, resumendam; postea tamen experientia edoctus, quam heretici sint obstinati et perversi, contrarium docuit, ut patet lib. II *Contra Parmen.*, cap. 11, et lib. II *Retract.*, cap. v: « Quia nondum, ait, expertus eram, vel quantum mali auderet eorum impunitas, vel quantum eis in melius

mutandis conferre posset diligencia disciplina. »

Tropologie: Auctor *Imperfecti*, homil. 13: Zizania ait, sunt concupiscentia, v. g. cupiditas vanæ gloriæ furtim adrepens bono operi, qua invito toleranda est, nec ob eam bonum opus relinquendum.

39. INIMICUS AUTEM QUI SEMINAVIT EA, EST DIABOLUS, — cuius est semper veritati inserere errorem, ait S. Chrysostomus.

MESSIS VERO CONSUMMATIO SECVLI EST. — Tunc enim demet Deus per Angelos omnes homines, tam malos, quam bonos, eosque in die iudicii discriminabit, ac bonos in horreum celeste congregabit, malos tradet urendos igni gehennæ; unde sequitur:

MESSORES AUTEM ANGELI SUNT. — Messis enim, ait Remigius, est dies iudicii, in quo separandi sunt boni a malis, quod fiet ministerio Angelorum; unde infra dicitur, quod veniet Filius hominis cum Angelis iudicare.

40. SICUT ERGO COLLIGUNTUR ZIZANIA, ET IGNI TRANSFERUNTUR; SIC ERIT IN CONSUMMATIONE SECVLI: MITTET FILIUS HOMINIS ANGELOS SUOS,

41. ET COLLIGENT DE REGNO EJUS OMNIA SCANDALA. — Mali, quos Christus prius vocavit zizania et filios diaboli, eosdem hic vocat scandala, quia mali suis sceleribus tam sibi quam aliis fuerunt scandalo et ruina: fuerunt enim causa, ut ruent in gehennam, unde explicans subdit, « et eos qui operantur iniquitatem; » nam et est exegreticum, idemque valet quod id est. Notat S. Chrysostomus hic duplicem impiorum penam decerni, scilicet damni, cum dicitur: « Colligent de regno, » ne scilicet in regnum ejus intrent, sed celo excludantur; et sensus, cum dicitur: « Et mittent eos in caminum ignis, » S. Chrysostomus: « Vide, ait, ineffabilem Dei amorem ad homines: est enim ad beneficia promptus et ad poenam tardus. Cum enim seminat, per seipsum seminat; cum autem punit, per alios: mittit enim ad hoc Angelos suos. » Ad dit Christus, vers. 30: « Alligata ea in fasciculos ad comburendum, » quod explicans S. Gregorius, lib. IV *Dialog.*, cap. XXV: « Messores Angeli, inquit, zizania ad comburendum in fasciculos ligant, cum pares paribus in tormentis similibus sociant, ut superbi cum superbis, luxuriosi cum luxuriosis; avari cum avaris, fallaces cum fallacibus, invidi cum invidis, infideles cum infidelibus ardeant. Cum ergo similes in culpa ad tormenta similia deducuntur, quia eos in locis penalibus Angeli deputant, quasi zizaniorum fasciculos ad comburendum ligant. »

42. ET MITTENT EOS IN CAMINUM IGNIS. — Caminum, notat damnatos, utpote plurimos, in gehennam quasi in camino arctari, sicut ligna et favilla arctantur in camino. Secundo, eosdem igne comburi et sursum deorsumque jactari, sicut fumus et scintille in camino et fornace. Unde Isaias, xxxii, 14: « Quis, ait, poterit habitare de vobis

An loci in glo-
hum
transfor-
mantur?

Vers. 41.
Paraboli
abscondi:
ut in agro.

cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis? »

IBI ERIT FLETUS, ET STRIDOR DENTIUM. — Significatur, ait Remigius, duplex pena inferni, scilicet, nimii calor, et nimii frigus. Vide dicta cap. xiii, vers. 12. Quam dispar et mesta hæc commutatio! Impii enim regnum cæli cum igne inferni commutabunt.

43. TUNC JUSTI FULGEBUNT SICUT SOL IN REGNO PATRIS FORUM. — « Tunc, » quia nunc, ait Remigius, justi fulgent in exemplum aliorum, sed tunc fulgebunt sicut sol ad laudandum Deum. Alludit ad *Daniel.* xii, 3: « Qui autem docti fuerint, » Hebr. מְשִׁילֵי מַשְׁכִּילִים *maskilim*, id est sapientes et prudentes, qui, scilicet, prudenter sapienterque vixerint, « fulgebunt sicut splendor firmamenti, et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stelle in perpetuas æternitatis. » Vide ibi dicta. Hinc olim nonnulli heretici putarunt, in resurrectione corpus nostrum transformandum in globum, ut esset simile corpori solari. Hanc heresim ascribit Origeni, eamque damnat Justinianus Imperator in sua Constitutione quam recitat Baronius, tomo VII, anno Christi 538, pag. 289 et 293. Nam figura rotunda non est figura corporis humani, nec corporis Christi gloriosi, cui nos conformandos in resurrectione docet Paulus, *Philip.* iii, 21.

QUI HABET AURES AUDIENDI (ARABICUS, *aures audientes*), AUDIAT. — Hoc est, ait Rabanus: « Qui habet intellectum, intelligat, quia mystice hæc omnia intelligenda sunt. »

44. SIMILE EST REGNUM CŒLORUM THESAURO ABSCONDITO IN AGRO; QUEM QUI INVENTIT HOMO, ABSCONDIT, ET PER GAUDIO ILLIUS VADIT, ET VENDIT UNIVERSA QUE HABET, ET EMIT AGRUM ILLUM. — Qui enim scit alibi latere thesaurum, et emit locum, antequam eruat, efficitur dominus thesauri: quia eruit illum jam ex loco proprio, utpote a se empto; nec tenebatur domino priori indicare, sed poterat uti scientia sua ad suum commodum, emendo agrum tanti, quanti valet secundum commune estimationem, ad quam nihil facit thesaurus absconditus, latens et incognitus, uti ex D. Thoma, Navarro et Soto, docet noster Lessius, lib. II *De Justitia*, cap. v, dub. 43, in fine.

QUEM QUI INVENTIT ROMO. — Græce est præteritum, est enim aoristus ἔβρη, quod alii vertunt quem inventum, imo Noster, vers. 49: « inventa autem una pretiosa, » etc.; ibi enim est ἔβρη; et abscondit est emblemata, spectans ad elegantiam parabola, ac proinde non necessario accomodandum rei significata.

Nota: Christus præcedentibus quatuor parabolis, scilicet seminantis, seminis, grani sinapis et fermenti declaravit naturam, vim et efficaciam Evangelii, id est predicationis et doctrinæ Evangelicæ; nunc duabus sequentibus, scilicet thesauri et margarite, declarat ejusdem pretium, quod tantum est, ut omnium rerum jactura merito sit comparandum. Ita S. Chrysostomus, Hi-

larius, Jansenius, Maldonatus et alii. Simili modo Sapientia apud Salomonem, *Prov.* viii, 11, de se ait: « Mellior est sapientia cunctis pretiosisimis, et omne desiderabile ei non potest comparari. » Et vers. 19: « Mellior est fructus meus auro et lapide pretioso, et geminima mea argento electo. »

Ad litteram: per thesaurum hunc S. Hieronymus accipit ipsum Christum et S. Scripturam, quam quoque hic intelligit S. Augustinus, lib. *Quest. Evang.*, in *Matth.*, Quest. XIII: « Quem cum quis, inquit, ex parte intellectus attigerit, sentit ille magna latere mysteria, et vadit, et vendit omnia sua, et emit illum, id est, contemptu temporalium comparat sibi olivum, ut sit dives cognitione Dei. » Verum, ut dixi, proprie thesaurus hic est Evangelium, ejusque doctrina et fides.

Tropologie: S. Gregorius, hom. 14 in *Evang.*, per thesaurum accipit celeste desiderium: « Inventus thesaurus, inquit, absconditur, ut servetur, quia studium celestis desiderii a malignis spiritibus custodire non sufficit, qui hoc ab humanis laudibus non abscondit. In presenti etenim vita quæsi in via sumus, quia ad patriam pergitur: maligni autem spiritus fer nostrum quasi quidam latrunculi obsident. Deprecari ergo desiderat, qui thesaurum publice portat in via. »

45. ITERUM: SIMILE EST REGNUM CŒLORUM HOMINI NEGOTIATORI, QUÆRENTI BONS (SYRUS *optinans*) MARGARITAS. — Arabicus: *quærenti bonam gemmam*; g. d. Tanto studio fideles debent sibi comparare doctrinam vitamque Evangelicam, quæ via est et prelium regni cælorum, quanto mercator quærit margaritas emittique unam ex eis pretiosissimam: nam aliqui regnum cælorum sive Evangelium proprie comparant ipsi margarite, non autem negotiatori illius. Similem phrasin audivimus vers. 14.

46. INVENTA AUTEM UNA PRETIOSA (SYRUS *pretiosissimi pretii*), ABIT, ET VENDIDIT OMNIA QUE HABUIT, ET EMIT EAM. — Sicut enim hæc margarita ordine pretium superat, sic et Evangelium. Vide Plinium, *De Pretio margaritarum*, lib. IX, cap. xxxv, ubi inter alia ait: « Margaritis cæli societas major quam maris. » Ad ditque Cleopatram, Antioii amicam, unam margaritam aceto liquefactam coram Antonio potando hausisse, quæ valebat plusquam centum millibus aureorum. Vide dicta *Apocal.*, xxi, 21, ubi tredecim margaritarum dentes recensit, quas omnes longo superat Evangelium, ejusque doctrina, virtus et gratia, quæ maxime in viris apostolicis et religiosis resplendet.

Symbolice: margarita pretiosa est Christus, item B. Virgo, item religionis status, item charitas: « Charitas enim est margarita pretiosa, sine qua nihil tibi predest quodcumque habueris: quam si solam habeas, sufficit tibi, » ait S. Augustinus, tract. 5 in *Joannem*: charitas enim est monie Christi; item margarita pretiosa est vita contemplativa, de qua Magdalene ait Christus: « Maria optimam partem elegit, » *Luce* xi.

Item
Christus,
Virgo Ma-
ria, reli-
gio, cha-
ritas.

Margarita quoque est anima cuiusque hominis; item felicitas aeterna, ut apposite ostendit noster Salmeron, tom. VII, tract. 11; haec enim omnia sunt partes illustiores regni colorum, id est doctrinae Evangelicae. Talis quoque est humilitas; nimirum ut docet noster Thomas *secundus*, *De Imitat. Christi*, lib. I, cap. 11: « Si vis utiliter aliquid scire et discere, ama nasci, et pro nihilo reputari. Haec est altissima et utilissima scientia, sui ipsius vera cognitio et despectio. » Haec est margarita Evangelica pretiosissima, sed ejus pretium passim a superbis Ade filius ignoratur. Talis quoque est Christi crux, et pati pro Christo, cuius pretium callebat S. Ignatius, dicens: « Amor meus crucifixus est; » et S. Paulus: « Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. » *Galat. vi. Et Habac. iii.*: « Cornua, ait, in manibus ejus, ibi abscondita est fortitudo ejus. »

Verbum
in carnis
est mar-
garita in
concha.

Porro, prima et pretiosissima margarita, a qua omnes virtutes omnesque sancti quasi margarite progignuntur summe habent decorem et pretium, est ipse Christus. Ejus enim deitas in humanitate, est quasi margarita in concha abscondita, quae ex materia virginea et rore Spiritus Sancti concepta, prodiit candidissima, per vite innocentiam; lucidissima, per sapientiam; rotundissima, per omnis perfectionis possessionem; labens pondus conscientiae, levorem militatis, pretium beatitudinis: « Margaritarum enim omnis dos consistit in candore, magnitudine, orbe, levore, pondere, » ait Plinius, lib. IX, cap. xxxv. Ita S. Hieronymus, *Theophylactus*, et S. Augustinus, in lib. *Quaest. Evang. ex Mattha.*, Quest. XIII, quem audi: « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum: est enim verbum Domini lucidum candore veritatis, et solidum firmitate aeternitatis, et undique sui simile pulchritudine divinitatis: qui Deus penetrata carnis testudine intelligendus est. » Haec ergo Christi margaritam, ait noster Salmeron, humilitate parvam, valore pretiosam, portatu facilem, gestem in capite mentis nostrae, ad ornamentum; in fronte, per confessionem fidei; in auribus, per obedientiam legis, Deo in se et in superioribus prestandam; in collo et pectore, per amorem et gustum; in brachio, per bonorum operum exercitium; in annulis digito impositis, per donum discretionis spirituum; in cingulo, per castitatem; in vestimentis, per modestiam et sanctam aeternae vite rationem, ut et ipsi efficaciam margaritarum pretiosam, quo alios ad honestatem et virtutem inducamus, et ad imitationem arripendam sanctissime vite Domini nostri Jesu Christi.

Denique Christus non tantum est margarita pretiosissima, sed et gemma gemmarum: ipse enim est carbunculus, quia lux et flamma mundi; ipse est smaragdus, quia suo virore gratie visum delectat Anglorum; ipse tortis et invictus, ut Adam; gaudium parit, ut sardius; lepram

peccati sanat, ut chrysolithus; ipse juvat ad partum honorum operum, quasi spiritalis jaspis; acuit ingenium, ut beryllus; ipse coelestis est coloris et vite, ut sapphirus; resistit somno et ebrietati, ut amethystus; ac cullibet animi infirmitati, ut hyacinthus; ipse limas passionum sustinuit, ut topazius; ipse candore et nitore est sardonyx; aurea charitate est chrysolithus. Unde hisce duodecim gemmis strata sunt fundamenta coelestis Jerusalem, quorum singula singulos notant Christi Apostolos, *Apoc. xxi, 10 et 20*. Vide ibi dicta.

47. ITERUM: SIMILE EST REGNUM COELORUM SAGENA. *(Arabicus refert)* MISSE IN MARE, ET EX OMNI GENERE PISCUM CONGREGANTI. — Duae praecedentes parabolae, scilicet thesauri et margarite pretiosae, ostenderunt pretium et dignitatem Evangelii; haec ostendit ejusdem capacitatem et amplitudinem, scilicet, quod quasilibet orbis gentes et homines, easque tam malas, quam bonas complectatur. Proponit autem Christus eam hoc fine, ut non mirentur Apostoli et Sancti, si inter fideles videant nonnullos male vivere, sicut in regno amplo nemo miratur inveniri homicidas, fures, adulteros; rursum, ne quis sibi blandiatur quod sit Christianus, fidelis et filius Ecclesiae, cum in ea multi sint improbi, sed satagat in ea esse probus et sanctus. « Regnum colorum » est Evangelium, hoc est, Evangelii praedicatio et doctrina; item Ecclesia, haec enim illam continet: in Ecclesia enim verum Dei Evangelium praedicatur, et per illud in ea regnat Deus eamque ad regnum coeleste perducit.

SAGENA. — Sagena est vox Graeca significans genus retis, quod vulgo dicitur vermiculum, vel everriculum a verrenda aqua vel mari, ut pisces capiat. Proprie tamen sagena est sinus retis, in quem capti pisces deveniunt. Hinc *αγρην*, ait Etymologus, vocatur *αγγρην*, id est ovium illud in medio ventre vel umbilico, sic dictum, quod illic more sagenae nervi implicentur: pari modo Evangelii et Ecclesiae quasi materno sinu pisces, id est fideles omnes excipiuntur, foventur, aluntur, conservantur.

ET EX OMNI GENERE PISCUM CONGREGANTI. — Sic enim Evangelium omnibus gentibus praedicatur, et ex iis coalescit Ecclesia. Pisces ergo sunt fideles, piscatores sunt Apostoli, sagena est Evangelium et Ecclesia. Porro, pisces apte representant homines, ob viginti analogias quas recensit *Habac. i, 14*, ad illa: « Et facies homines quasi pisces. »

48. QUAM, CUM IMPLETA ESSET, EDUCENTES, ET SECUS LITUS SEDENTES, ELEGERUNT *(Graece, αἰχμαλωτίζοντες)* BOVOS IN YASA, MALOS AUTEM FORAS MISERUNT. — abiecerunt in mare, vel in litus. Arabicus: *Collegerunt selecta in vasibus suis, et mala proiecerunt foras*. Vasa notant diversas in domo Patris mansiones, ut ait Christus, *Joan. xiv*, sive varias caeli cellas, quae alibi aeterna ta-

Christus
ait omnia
in manu
sua esse.

decarnacula nuncupantur. « Malos, Graece *καρπῶ*, id est putrida, marida, spurca, puta pisces putides, fetentes, mortuos. Ex hoc loco recte S. Augustinus contra Donatistas probat in Ecclesia non tantum esse bonos (et predestinatos, ut vult Calvinus), sed etiam malos et reprobos.

49. SIC ERIT IN CONSUMMATIONE SEculi *(Arab. in fine hujus temporis, puta in die judicii)*: EXIBUNT ANGELI, ET SEPARABUNT MALOS DE MEMO JESTORUM, — id est a justis: est Hebraismus.

50. ET MITTENT EOS IN CALIBUM *(Arabicus in fornacem)* IGNIS: IBI ERIT FLETUS, ET STRIDOR DENTIUM. — Vide dicta vers. 42.

51. INTELLEXISTIS HEC OMNIA? — Has omnes parabolae et sermones meos? Syrus et Graecus praeponunt: *Dixit eis Jesus*. Sed in suo exemplari id non legit noster interpres; id enim ex dictis intelligitur, continuantur enim hic verba *causa*.

DICENT EI: ETIAM. — Jam enim parabolae seminis et zizaniorum, quae caeteris erant difficiles, eis explicauerat Christus.

52. AIT ILLIS: IDEO OMNIS SCRIBA DOCTUS IN REGNO COELORUM, SIMILIS EST HOMINI PATRI FAMILIAS, QUI PROPRIET DE THESAURO SUO NOVA ET VETERA. — « Ideo, » *q. d.* Quia vos, o Apostoli, meis hisce parabolis intellexistis Evangelium, quod ducit ad regnum coelorum, tantum esse thesaurum; ideo ex hoc thesauro omnia depromere debetis, ut omni alio, imo toto mundo communicetis. Ita S. Augustinus, *Quest. XVI in Matth.* Rursum: quia intellexistis meum modum docendi ea quae sunt caeli, sicutque hominibus nova et inaudita, per parabolae a rebus veteribus et usu tritis petitis; vos eodem modo eadem docete et praedicate, ut ex veteribus quae intelligunt, capiant et intelligant nova quae praedicatis.

« Scriba, » id est doctor, praedicator; « doctus » Graece *μαθητικός*, id est instructus, eruditus, edoctus; « in regno, » id est ad regnum « colorum, » ut habet Syrus, scilicet, praedicandum. Arab.: *Scriba, qui docet pro regno colorum; q. d.* Doctore evangelicus probe instructus ad annuntiandum Evangelium, ducens fideles ad regnum colorum, quales estis, vel eritis, vos o Apostoli, a me et Spiritu Sancto plene instructi. Opponit enim suos Scribas, id est doctores et praedicatores, puta Apostolos, Scribas Judaeorum: hi enim legem Moysi, et ex ea bona terrena praedicabant; Apostoli vero annuntiabant Evangelium et regnum colorum in eo promissum.

PROPRIET DE THESAURO SUO NOVA ET VETERA. — Est adagium, significans omnes cibos, omnem substantiam, omnem suppellectilem familiae aeternae necessarium vel utilem; quaedam enim vetera sunt meliora, quaedam nova. Unde adagium: « Nova Hymetta (mella), vetera Falerna, » id est vina; mel enim optimum, quod recensissimum vinum; vinum vero optimum, quod vetustissimum, ait Macrobius, lib. VII *Saturn.* Hinc et illud Pindari, *Olymp.*, hymno IX: « Lauda vinum

Mel no-
vum est
optimum
vinum ve-
ro, quod
vetustis-
simum.

vetus, sed novorum hymnorum flores. » Sensus est, *q. d.* Sicut paterfamilias familiam instruit novis et veteribus, id est omni re necessaria et utili; sic doctor evangelicus promovere debet congruo tempore pro capta auditorum varium sermonem, varii et omnis generis scientiam, ac praesertim curare, ut mysteria Evangelii nova et inaudita doceat per vetera exempla, parabolae et similitudines, quas auditores capiunt et norunt. Sic enim per vetera et nova cognoscent nova et incognita. Porro veteres, ut S. Chrysostomus, Augustinus, Hieronymus, Hilarius et Beda, vetera et nova, o accommodant veteri Testamento et novo. Optime enim praedicatur, cum novum Testamentum confirmatur et illustratur ex veteri, illique per omnia typus conforme demonstratur. Vetus enim filii typus novus, novum veteris est *causa* *causa*.

Obijcit Abulensis, quod cum haec diceret Christus, nondum scriptum erat novum Testamentum. Resp. Illud jam dictum et doctum erat a Christo, ac paulo post a Mattheo, Joanne, Luca, Marco scribendum, idque sciebat Christus; unde jubet Apostolis, ut ipsi a se dicta et audita, posteri vero eadem ab Evangelistis scribenda praedicent.

53. ET FACTUM EST, CUM CONSUMMASSET JESUS VERBA PARABOLAS IAS, TRANSIIT INDE. — Scilicet, ex domo sua, quam habebat Capharnaum, ut dixi vers. 16, transit ad alias urbes et castella, ut latius Evangelium disseminaret.

54. ET VENIENS IN PATRIAM SUAM, DOCEBAT EOS *(cives patriae suae) IN SYNAGOGIS EORUM*. — Patriam vocat, non Bethleem, in qua natus erat, haec enim longe aberat a Capharnaum, sed Nazareth viciniam, in qua coeptus et educatus erat Christus, ut explicat Lucas, iv, 16. Ita S. Chrysostomus, Hieronymus, Theophylactus, Euthymius.

IN SYNAGOGIS, — in concione, aut coetu, qui singulis sabbatis fiebat in synagoga, ut apud nos fit in ecclesia vel templo. In Nazareth enim, utpote parva urbe, videtur una tantum fuisse synagoga. Fusiis haec narrat Lucas, iv, 16.

ITA UT MIRARENTUR *(Arabicus, obstupescerent)* Nazareni, concives Christi) ET DICERENT: UNDE HIC SAPIENTIA HEC, ET VIRTUTES? — id est miracula. Arabicus: *Unde et haec sapientia et virtus, patrandi tanta miracula?*

55. NONNE HIC EST FABRI *(Arabicus addit lignarii)* FILIUS? — Marcus, vi, 3: « Nonne hic est faber? » « Nec mirandum est, » ait S. Augustinus, lib. II *De Consens. Evang.*, cap. xlii, cum attingere dicitur potuerit. Eo enim et fabrum credebatur, quo fabri filium. Adde, quis et videbatur eum cum Joseph fabricentem. Videtur ergo Christum cum patre Joseph artem fabrilis exercisio neque ad annum trigesimum, quo cepit docere et praedicare. S. Hilarius et Ambrosius censent Christum fuisse fabrum ferrarium; Hugo, murarium, vel aurificem. Communis sententia est, Christum fuisse fabrum lignarium, ut ex S. Chrysostomo

Ver. 55.
Luc. 17.
12. Mar. 6.
vi. 3.

Christus
faber lig-
narius.

docet S. Thomas et S. Justinus, *Dialog. contra Tryphon.* : « Erat, ait, aratra et juga boum conficiens. » Hinc predicans Christus saepe ab eis petit similitudines, ut cap. xi : « Tollite jugum meum super vos. » Et « nemo mittens manum suam ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei, » *Lucæ ix, 62.* Hinc et Christianus ille a gentili irrisore rogatus, « quid faceret fabri filius? » putat Christus, argute respondit : « Juliano (Apostata) fabricat feretrum; » nam paulo post occisus est Julianus. Ita Sozomenus, lib. VI, cap. II. Nonnulli tamen negant Christum fabrilem artem exercuisse, censentes eum instar religiosi abstractum vixisse, ac vacasse orationi et jejuniis usque ad annum 30. Ita Paulus Burgensis, Simon de Cassia et noster Barradius : de quo plura *Lucæ II, 51*, ad illa : « Et erat subditus illis. »

Mystice S. Augustinus, *serm. De Nativ.* : « Est, ait, pater Christi faber Deus, qui totius mundi opera fabricatus est, arcam Noe disposuit, Moysis tabernaculum ordinavit, arcam Testamenti instituit. Fabrum dixerit, qui mentem rigidam explanat ac cogitationes superbas excidit. » S. Hieronymus : « Fabri, inquit, etiam hic erat filius, ferrum ignea vincens ratione, seculi virtutem iudicio deoquentis, massamque formantis in omne opus utilitatis humanae, formam scilicet corporum nostrorum in diversa membrorum ministeria et ad omnia æterna vite opera fingens. » Porro, « Christus erat fabri filius, ait Chrysostomus, *serm. 48*, sed illius, qui mundi fabricam fecit non malleo, sed præcepto; qui elementorum membra, non ingenio, sed jussione compegit; qui massam seculi auctoritate, non carbone conflat; qui solem, non terreno igne, sed supremo calore succendit; qui lunam, tenebras, noctem formavit et tempora; qui stellas variata luce distinguit; qui cuncta fecit ex nihilo, et fecit, o homo, tibi, ut officem operis estimatione pensares. »

NONNE MATER EJUS DICITUR MARIA; ET FRATRES EJUS, JACOBUS, ET JOSEPH, ET SIMON, ET JUDAS? — « Fratres, » id est patruelis et consobrini, ut dixi cap. XII, 46. At cur S. Mariam pauperem in matrem elegit Christus, et non Liviā Augusti, aut Mariamnem Herodis uxorem? Respondet Theodoretus, tom VI in *Concil. Ephes.*, in Appendice V, cap. II *De Nativ. Christi* : « Si quis docet ignorans, potestati utilitatem ascriberent; si legislatoris factus fuisset filius; præceptis utilitatem ascriberent; sed quid fecit? Omnia paupera et vilia elegit, omnia mediocria, et plurimum obscura, ut divinitas sola cognosceretur orbem transformasse terrarum. »

JACOBUS. — Hic est Minor, cognomento Alphaei, Apostolus et primus Episcopus Hierosolymorum, auctor Epistolæ Canonice, ubi plura de eodem dixi in proemio. Alter ergo et diversus est hic a Jacobo Majore, filio Zebedæi et fratre Joannis, ejus corpus colitur Compostellæ,

cum Minoris colatur Romæ, in ecclesia SS. Apostolorum.

ET JOSEPH. — Græca habent Ἰωσὴφ, id est Iosès, sic et Syrus : unde eum Iosetem vocat S. Hieronymus, lib. *Contra Helvidium*. Hic fuit unus ex septuaginta duo Christi discipulis, quem combinarunt cum S. Matthaia ad Apostolatam, cum sors cecidit super Matthiam. Hic postea factus est Episcopus Eleutheropolis, ac inter Sanctos relatus, colitur die 22 Julii, de quo plura *Act. I, 23*.

ET SIMON. — Multi ex Abdia, Sophronio; Isidoro et Beda putant hunc esse Simonem Cananæum Apostolum, quasi ille fuerit frater Jacobi Minoris et Judæ; sed hic Simon ortus fuit ex Cana Galilææ, isti autem fratres, id est cognati Christi, orti fuere ex Nazareth, æque ac ipse Christus : unde civis Nazarethani hic mirantur, unde tanta scientia sit in Jesu cive suo, cum norit ejus fratres et cognatos quasi simplices et idiotas, ut patet *Marci vi, 1* et sequent. Verius ergo videtur, hunc Simonem esse S. Simeonem, qui S. Jacobo in Episcopatu Ierosolyma successit. Hic enim fuit filius Cleophae ejusque uxoris Marie, teste Hegesippo apud Eusebium, lib. III *Histor.*, cap. XI, quem proinde fratrem fuisse Jacobi Minoris docet S. Chrysostomus; Theophylactus, Beda, et ex his Christophorus a Castro, lib. *De Deipara*, cap. I, licet Hegesippus et Epiphanius, *haeres. 66*, censent eum non fuisse fratrem, sed patruelum sive consobrinum Jacobi. Hic est ille Simeon, qui anno 10 Trajani, hoc est anno 109 Christi, crucifixus, cum esset 120 annorum, omnes sua constantia et fortitudine stupefecit. Unde sequitur eum undecim annis natum fuisse ante Christum, Christoque fuisse seniore. Ex dictis constat errare Abdiam, lib. VI *Hist. Apost.*; Sophronium apud S. Hieronymum, *De Script. Eccles.*; Isidoro, *De Vita et Morte Sanctorum*, et Bedam in cap. I *Actor.*, qui censent Simonem Cananæum eundem esse cum Simeone episcopo Hierosolymitano et crucifixo. Unde Beda ibidem id retractat.

ET JUDAS. — Hic est frater Jacobi Minoris, et auctor Epistolæ Canonice, de quo plura ibidem in proemio.

Quæres, an hi quatuor fuerint proprie dicti fratres, ex eodem patre et matre geniti? *Primo*, constat Jacobum et Joseph fuisse fratres, ut patet ex Mattheo, xxvii, 36. De reliquis duobus, scilicet Simone et Juda, censent nonnulli eos fratres fuisse Jacobi et Joseph, sed uterinos duntaxat matrem enim eorum fuisse Mariam, que primo nupta Alphaeo, ex eo genuerit Jacobum et Joseph, ideoque Jacobum vocari Alphaei, scilicet filium; deinde, mortuo Alphaeo, nuptam Cleophae, genuisse ex eo Simonem et Judam. Ita S. Thomas in cap. I *ad Galat.*, lect. 3.

Secundo, Baronius in apparatu *Annal.*, cap. XLVI et sequent., tres ponit Marias sorores, id est consobrinas B. Virginis; primam Mariam Alphaei, scilicet matrem Jacobi et Judæ Apostolorum, ac

Joseph; secundam Mariam Cleophae, quæ ex Cleopha marito genuit S. Simeonem, qui S. Jacobo successit in episcopatu Jerusalem, et crucifixus est anno 120 statim, ut jam dixi; tertiam Mariam Salome, uxorem Zebedæi, ex qua nati sunt Joannes et Jacobus Apostoli.

Tertio, verum aniam eandemque esse Mariam Alphaei cum Maria Cleophae liquet, si quis conferat S. Joannis cap. xix, 25, cum Matthei cap. xxvii, 56, et Marci xvi, 40. Nam Joannes ait : « Stabant autem juxta crucem Jesu, mater ejus, et soror matris ejus Maria Cleophae, et Maria Magdalene; » Matheus vero ait : « Inter quas erat Maria Magdalene, et Maria Jacobi et Joseph mater, et mater filiorum Zebedæi; » Marcus autem : « Inter quas erat Maria Magdalene, et Maria Jacobi Minoris et Joseph. » Vides hic clare, quod illa; que a Joanne vocatur « Maria Cleophae, » a Mattheo et Marco vocetur « Maria Jacobi et Joseph mater; » Jacobi, inquam, qui non Zebedæi, sed Alphaei, scilicet filius, vocatur *Act. I, et Matth. x*. Eadem ergo est Maria Cleophae et Maria Alphaei; Cleophas enim alio nomine dictus est Alphaeus more Hebræorum, nisi malis cum nonnullis unum horum duorum fuisse maritum, alterum patrem hujus Mariæ. Eadem dicta est Maria Jacobi, scilicet Minoris, mater. Ita S. Chrysostomus, Hieronymus, Theodoretus, Beda, quos citat et sequitur Christophorus a Castro, lib. *De Deipara*, cap. I.

Eadem
Maria
Cleophae
et
Alphaei.

Eadem
Salome
et
S.
Zebedæi.

Rursus, vides hic, ut illa que a Marco vocatur Salome, a Mattheo vocatur « mater filiorum Zebedæi; » hæc ergo vocata fuit Salome. Ita S. Gregorius, Theophylactus, Euthymius et S. Epiphanius, *haeres. 59* et *78*. Videtur ergo eadem Maria Cleophae, sive Alphaei, genuisse hos quatuor, scilicet Jacobum, Joseph, Simonem et Judam : nam eam matrem Jacobi et Joseph vocat Matheus et Marcus, loco jam citato; Judas autem fuit frater Jacobi, uti ait ipse initio suæ Epistolæ; Simon etiam sive Simeon, qui successit Jacobo fratri in episcopatu Hierosolymitano, ejusdem fuit frater, nam fuit filius Cleophae ejusque uxoris Mariæ, ut disertè ait Hegesippus apud Eusebium, lib. III *Histor.*, cap. XI. Porro, Mariam hanc non fuisse filiam, sed uxorem Cleophae, disertè assertit idem Hegesippus, S. Chrysostomus, Eusebius, Theodoretus, Euthymius, et ex his Christophorus a Castro loco citato, ac Suarez, III *part., Quæst. XXVIII*, art. I, disp. 3, sect. 4. Cleophas autem fuit frater Joseph, sponsi B. Virginis, ait idem Hegesippus. Hic est ille Cleophas, cui cum socio in Emmaus Christus in fractione panis se revelavit, ac in eadem domo ob Christi confessionem a Judæis occisus, martyr occubuit die 23 septembris, ut habet *Martyrologium Romanum*.

Dices, cur ergo Matheus et Marcus hanc « Mariam, » vocant matrem Jacobi et Joseph, non autem Simonis et Judæ? Resp. Brevitatis causa id faciunt, et quia duo primi, scilicet Jacobus

et Joseph, primi et insigniores tunc habebantur præ duobus cæteris. Ita S. Hieronymus, Theophylactus, S. Gregorius, S. Epiphanius, *haeres. 59* et *78*, et Nyssenus, orat. 2 *De Resurrect.* Porro Maria hæc, tot sanctorum filiorum et filiarum mater, sancte mortua est in Idria die 9 Aprilis, inde translata est Verulam in Italia, ibique magno honore colitur, ut habet *Martyrologium Romanum* ad diem 23 maii, et ibidem Baronius in Notis.

56. ET SORORES EJUS, NONNE OMNES APUD NOS SUNT? — In Nazareth. Sorores Jacobi, Joseph, Simonis et Judæ ab Hippolyto apud Nicephorum, lib. II, cap. III, vocantur Esther et Tamar; sed a S. Epiphanio, *haeres. 78*, et Theophylacto vocantur Maria Salome, que fuit uxor Zebedæi, et mater S. Joannis et Jacobi Majoris Apostolorum, qui proinde fuere nepotes ex sorore Jacobi Minoris, Joseph, Simonis et Judæ, uti ostendam ad oculum in tabula genealogie Christi, quam affigam ad cap. III *Lucæ*. Vide Christophorum a Castro, *De Deipara*, cap. I, ubi docet Salome seniore fuisse Jacobo et Juda fratris sui: nam ipsa genuit Joannem et Jacobum, qui a Christo cum Jacobo et Juda avunculis eorum electi fuere in Apostolos; Joannes enim videtur tribus duntaxat annis fuisse junior Christo, natusque anno tertio Christi. Hinc etiam soli Jacobus, Joseph, Simon et Judas, filii Cleophae, vocantur fratres, id est patruelis Christi; Joannes vero et Jacobus, filii Zebedæi, non vocantur fratres Christi, quia non fuerunt ejus patruelis, sive consobrini proprie et in primo gradu, sed consobrini Christi fuit duntaxat eorum mater Salome. Rursus hinc idem Christophorus a Castro colligit Jacobum Minorem, qui frater fuit Salome, seniore fuisse Jacobo Majore, filio Salome et Zebedæi, novem vel decem annis, ut minimum; Minor enim Majoris erat avunculus: Minor ergo eum dicit, respectu non ætatis, sed vocationis Christi. Plures alios cognatos vel affines habuisse Christum non est dubium, sed hi præ cæteris nominantur, quia et sanguine proximiores, et quia in eum tandem crederentur factique sunt ejus Apostoli.

UNDE ERGO HUC OMNIA ISTA? ET SCANDALIZABANTUR IN EO. — Hoc est, offendebantur et indignabantur, quod Christus, cum esset faber, faceret se doctorem et prophetam, sicut jam offendebantur et indignarentur homines, si quem e fabrici officina et malleo viderent proilire in cathedram, agereque doctorem, insimularent enim eum summa arrogantia vel stultitia; sed nesciebant Nazarethani Christum esse Dei Filium, qui inter fabros nasci et cum eis fabrum agere, ex immensa charitate non est dignatus, ut nos redimeret et exemplo suo doceret humilitatem. Quare charitas hæc Christi et humilitas, que debebat esse admirationi et venerationi, eis fuit scandalo, quia eam non capiebant, nec credabant Deum se tantopere velle humiliare et exinanire.

Jacobus
Minor
fuit
avunculus
Christi.

57. JESUS AUTEM DIXIT EIS: NON EST PROPRIETA (doctor, predicator) SINE HONORE, NISI IN PATRIA SUA, ET IN DOMO SUA. — « Sine honore, » Græcè, *ἄτιμος*; id est *inhonoratus*, vel *inhonorabilis*, ut vertit Hieronymus. Syrus, *ἄτις* vel *despectus*; Arabicus, *habetur vilipendit*; Vatablus, *contemptus*; alii, *expers honoris*. « Et in domo sua, » id est in familia et cognatione « sua; » quia « nec fratres, » id est cognati et affines, « credebant in eum, » *Joan. vii. 5*. Est hoc proverbium vulgo usitatum et communiter verum, at non semper; Joannes enim Baptista, æque ac Isaias, Elias, Elisæus, Daniel, Osee, etc., apud suos Judæos in magno fuere honore.

Porro, causa cur propheta, id est doctor, sæpe apud suos non honoretur, sed vilipendatur, prima est, quam dat S. Hieronymus: « Quod propemodum, ait, naturale sit civis semper civibus invidere: non enim considerant presentia viri opera; sed fragilis recordantur infantie, quasi non et ipsi per eodem ætatem gradus ad maturam ætatem venerint. » Rursus civis non ferunt civem sibi preferri, præsertim juniorem seniori, pauperem diviti, plebeium senatori: « Quia suam confusionem existimant gloriam contribulis, » ait Theophylactus in *Joannem*. Audi S. Ambrosium in cap. iv *Lucæ*: « Non mediocris invidia proditur, que civem charitatis oblita in acerba odia causas amaris inflectit. Simul hoc exemplo pariter et oraculo declaratur, quod frustra opem misericordie cœlestis exspectes, si aliena fructibus virtutis invidetas. Aspernator enim dominus invidiorum est, et ab iis, qui divina beneficia in aliis persequuntur, miracula suæ potestatis avertit. »

Secunda, quia nimia familiaritas parit contemptum, ait S. Chrysostomus, *hom. 34*. Et S. Cyrillus: « Quia solemus, ait, quod tritum est ac quotidianum, etiam magnum sit, parvi pendere, » etc. Theophylactus etiam: « Consuevimus, ait, ea contemnere, que valde familiaria sunt, semper magis attententes alienis et insolitis, » etc., juxta illud *Alex. apud Athenæum, lib. III*: « Alienum amamus, proximum contemnimus. » Miramur enim peregrina et exotica, aspernamur domestica et familiaria, cum subinde domi habeamus meliora. Sic medicos nostros fastidimus, licet eruditos, peregrinos et barbaros suspicemus; flores et herbas ex India advectos care emimus, cum meliores, imo fidem subinde laetibus nostris nascantur: nimirum, « grata est acivitas. »

Tertia, quod ex quotidiana conversatione cum hominibus facile vitia morum, vel infirmitates nature cujusque detegantur, que reverentiam minuunt et vilipendium parunt; secus est in conversatione cum Deo, que quo major est, eo majorem Dei reverentiam gignit: quia « quanto magis homo in cognitione Dei proficit, tanto magis perfectionis ejus « excellentiam admirat » et magis eum reveretur, » ait D. Thomas hic. Sic Nazarethani, videntes Christum comedere, bibere, dormire, fabricare, more aliorum, eum contempserunt, præsertim quia videbant ejus cognatos esse pauperes et abjectos, ac præsertim S. Josephum, quem putabant verum esse ejus patrem; nec enim cogitare aut credere poterant eum natum ex virgine, solumque Deum habere patrem. Doctor ergo et predicator familiaritatem hominum fugiat, ne spernatur; nam, ut ait S. Cyrillus, « predicatio ibi fructum facere non potest, ubi predicator contemnitur. » Romæ quidam e nostris, vir sapiens, concionatori cuidam Transalpino ad suos redeunte hoc monitum dedit: « Domi te contine, abstractus vive, cum Deo versare, non cum hominibus, ita ut Dei oraculum audieris. » Et videmus eos qui id faciunt, ob opinionem sanctitatis ab omnibus colari, amari, audiri.

58. ET NON FECIT IBI VIRTUTES (miracula) MULTAS PROPTER INCREdulitatem eorum. — Arabicus, *propter parvitatem fidei eorum*. Hæc enim faciebat eos indignos miraculis, utpote quæ Christus non nisi ad fidem sibi conciliandam et augendam patrare solebat. Aliam causam dat S. Hieronymus: « Ne multas, ait, faciens virtutes, cives incredulos condemnaret, » « itaque penam eis auget, » ait S. Chrysostomus. Gravius enim peccat, qui plura miracula videt, et tamen non credit, quam qui pauca, ideoque gravius damnatur et punitur in gehenna. Hæc de causa Christus « pauca signa fecit apud Judæos, » ait S. Hieronymus; majora signa quotidie in Gentibus per Apostolos facit, non tam in sanatione corporum, quam in animarum salute. » Jansenius cum suis post hoc caput ponit missionem Apostolorum factam a Christo, quam Mattheus narravit cap. x; deinde decollationem Joannis Baptistæ, quam narrat Mattheus, cap. xiv proxime sequenti, ac reversionem Apostolorum ad Christum, Christianique recessum in desertum, secutus Lucam et Marcum, qui hunc ordinem inservant, licet aliter sentiant Maldonatus et alii. Vide Chronotaxin.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, decollatur ab Herode S. Joannes Baptista. Secundo, vers. 13, Christus sit audiens, fugiens Herodem, secedit in desertum, ibique quinque panibus et duobus piscibus pascit quinque hominum millia. Tertio, vers. 23 dimissa turba, ascendit in montem, ut oraret; mox ambulans super mare, venit ad discipulos fluctibus tactatos; Petrumque ad se evocatum et vententem, cum ipse fluctus metuens mergeretur, erigit, dicens: « Modicæ fidei, quare dubitasti? » illicoque ventum fluctusque sedat. Unde exclamant, qui erant in navi: « Vere Filius Dei es: » quare ex locis circumquaque vicinis ad eum conflant agri, quos ipse tactu suo sanat.

1. In illo tempore audivit Herodes tetrarcha famam Jesu, 2. et ait pueris suis: Hic est Joannes Baptista: ipse surrexit a mortuis, et ideo virtutes operantur in eo. 3. Herodes enim tenuit Joannem, et alligavit eum, et posuit in carcerem propter Herodiam, uxorem fratris sui. 4. Dicebat enim illi Joannes: Non licet tibi habere eam. 5. Et volens illum occidere, timuit populum, quia sicut Prophetam eum habebant. 6. Die autem natalis Herodis, saltavit filia Herodiadis in medio, et placuit Herodi. 7. Unde cum juramento pollicitus est ei dare quodcumque postulasset ab eo. 8. At illa præmonita a matre sua: Da mihi, inquit, hic in disco caput Joannis Baptistæ. 9. Et contristatus est Rex; propter juramentum autem, et eos qui pariter recumbebant, jussit dari. 10. Misitque et decollavit Joannem in carcere. 11. Et allatum est caput ejus in disco, et datum est puellæ, et attulit matri suæ. 12. Et accedentes discipuli ejus, tulerunt corpus ejus, et sepelierunt illud; et venientes nuntiaverunt Jesu. 13. Quod cum audisset Jesus, secessit inde in naviculam, in locum desertum seorsum; et cum audissent turbæ, secutæ sunt eum pedestres de civitatibus. 14. Et exiens, vidit turbam multam, et misertus est eis, et curavit languidos eorum. 15. Vespere autem facto, accesserunt ad eum discipuli ejus, dicentes: Desertus est locus, et hora jam præterit: dimitte turbas, ut euntes in castella, emant sibi escas. 16. Jesus autem dixit eis: Non habent necesse ire; date illis vos manducare. 17. Responderunt ei: Non habemus hic nisi quinque panes et duos pisces. 18. Qui ait eis: Afferte mihi illos huc. 19. Et cum jussisset turbam discumbere super fœnum, acceptis quinque panibus et duobus piscibus, aspiciens in cœlum benedixit, et fregit, et dedit discipulis panes, discipuli autem turbis. 20. Et manducaverunt omnes, et saturati sunt. Et tulerunt reliquias, duodecim cophinos fragmentorum plenos. 21. Manducantium autem fuit numerus quinque millia virorum, exceptis mulieribus et parvulis. 22. Et statim compulsi sunt discipulos ascendere in naviculam, et præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas. 23. Et dimissa turba, ascendit in montem solus orare. Vespere autem facto, solus erat ibi. 24. Navicula autem in medio mari jactabatur fluctibus; erat enim contrarius ventus. 25. Quarta autem vigilia noctis, venit ad eum ambulans super mare. 26. Et videntes eum super mare ambulantem, turbati sunt, dicentes: Quia phantasma est. Et præ timore clamaverunt. 27. Statimque Jesus locutus est eis, dicens: Habete fiduciam: ego sum, nolite timere. 28. Respondens autem Petrus, dixit: Domine, si tu es, jube me ad te venire super aquas. 29. At ipse ait: Veni. Et descendens Petrus de navicula, ambulabat super aquam ut veniret ad Jesum. 30. Videns vero ventum validum, timuit; et cum cœpisset mergi, clamavit, dicens: Domine, salvum me fac. 31. Et continuo Jesus extendens manum, apprehendit eum, et ait illi: Modicæ fidei, quare dubitasti? 32. Et cum ascendissent in naviculam, cessavit veritus.